Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36451
Copyright: Melk, Benediktinerstift

domitis mulis per totas plateas ci-
uitatis trahi: quo ad usque totum cor-
pus eius dilaceraretur. et sic eum in car-
cerem iussit retrudi. Qui dum prostratus
humi extensis manibus oraret ad do-
minum: statim apparuit ei iuuenis cum
magno splendore niueis uestibus
indutus. pennis fulgentibus ut tota so-
lis emicans. et ait ad eum. Noli timere
felix. ego enim sum missus a domino ie-
su christo. ut te in omnibus corroborem. Et
tetigit uniuersa membra eius. et illico
sanata sunt omnia uulnera corporis eius.
Alia uero die sedens rufinus cum uni-
uersis. iussit eum ad se adduci. Cui
ait. Accede nunc felix et sacrifica
immortalibus diis nostris. sicut et nos ho-
die uidebis cum magno gaudio im-
molare. Et statim iussit aras omni
diligencia ornari: et funesta holo-
causta nefarie preparari. Et accedens
sic cepit coram omnibus infausta uo-
ce clamare. et inuocare sibi nomina
ydolorum dicens. Deus iouis. deus mer-
curii. deus saturne. deus baal. deus ac-
caron. deus minerue per quos mundus
gloriatur. per quos imperatores optinent
laudem. et per quos dominis meis dacianus
nimium sublimatur. adiuuate me et
omnes qui mecum sunt milites. Ceteri autem
qui cum eo immolabant similiter dixe-
runt. Et ait ad sanctum felicem. Acce-
de et tu felix. et sicut nos uides facere
fac: ut possis euadere a multis tor-
mentis. Tunc beatus felix dixit. Si-
miles illis fiant qui faciunt ea. et
omnes qui confidunt in eis. Nam
et ego deo uiuo excelso. et ihesu christo filio
eius immolabo sacrificium laudis. cor-
de puro et mente deuota. Et dicebat

eis. O quos cecitas insipiencie di-
abolo instigante grauiter obcecauit.
discedite infelices a manu factis
uestris. et cognoscite deum uerum qui uos
de limo terre plasmauit. quoniam omnia
simulacra sunt manu hominum facta.
Pro his racionem reddituri estis deo ui-
uo omnium sanctorum. qui fecit celum et
terram. mare et omnia que in eis sunt. Ad
hanc oracionem omnis illa turba
paganorum stipulata est. et impetum
fecerunt ut eum discerperent. Tunc
apprehendens eum rufinus tradidit car-
nificibus. ut exungularent car-
nes eius a scapulis usque ad cingulum
et iussit eum desuper tectis cameratis
capite deorsum suspendi. quo usque per
cartillagines eius sanguine prouocato
exalaret. Cum ergo suspenderetur sanctus
felix dicebat. Exurge domine et intende
iudicium meum. deus meus in causam meam.
Et suspensus est ab hora tercia diei
usque ad uesperum. et nichil sensit do-
loris. sed confortabat eum testis in
celo fidelis. Post solis uero occasum
iussit eum rufinus deponi. et in carcere
arcius custodiri. Ubi dum intro
duceretur. statim talis splendor lucis
et odor nectaris apparuit. ut custo-
des exterriti existimarent parietes.
et solum carceris ex balsamo precioso fu-
isse punctos. Nam et uoces multorum
psallencium cum eo audierunt. Et
mane facto omnia nunciauerunt
rufino dicentes. Vere seruus dei est
quem nos iussisti custodire. Nam
multa mirabilia uidimus cum eo
tota nocte. que non licet nobis ulli ho-
minum dicere. Et iratus rufinus ni-
mium. iussit eum manibus post tergum